



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 50. Opposita aliorum Præsulum opinio circa exemptiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI.
A.C. 1563
pronuntiatio ad Pontificem non spectaret. Ceterum idem Præsul in decimo nono capite improbabat, habendam esse ab Episcopis, & a Pontifice electionem ad Paræcias ex iudicio examinantium, cum fidendum non esset aliorum conscientia in re tanti momenti, qualis esset animarum cura demandanda: denique in vigesimo primo, ubi cuncta prima iudicia concedebantur Ordinariis, petebat, ut causæ majores exciperentur.

§. L.

*Opposita aliorum Præfulum opinio
circa exemptiones*

*Pallav. c. 3.
n. 18. & 22.*

Postea Mutius Callinus Archiepiscopus Jadrensis, quoad primum caput opinatus est, Episcoporum examen esse instituendum, prout post multos annos Clemens VIII. fieri iussit: præterea idem Archiepiscopus petiit, ut decerneretur, ne quispiam a Pontifice ad Episcopatum promoveretur, nisi prius ad id comprobatus ab Episcopo suæ Dioceseos, aut a Legato Apostolico illius Provinciæ fuisset. Insuper Bartholomæus a Martyribus Archiepiscopus Bracarensis in sexto dissensit a Patriarcha Hierosolymitano, dicens, quod excipere immunitates ex foundationibus ortas idem esset, ac nihil curare monstrum

strum enatum cum pede adnexo ipsius capiti, aut non corrigere institutionem nosocomii, quod ea ratione conditum esset, ut a medico nunquam inviseretur: econtra vero Caspar a Fosso Rhegiensis Archiepiscopus obstitit, ne univ.erse delerentur immunitates Collegiorum: tandem eadem libertate ceteri Præfules suas quisque sententias proferebant, unde Congregationes usque ad secundam Octobris diem protrahebantur: porro omnium postremus verba faciebat Pater Laynesius supremus Jesuitarum Moderator, cujus omnia verba ob raram prudentiam plurimi habebantur, si exceperis ea, quæ circa Sedis Apostolicæ jura edixerat, quæ plus æquo exaggerasse videtur: itaque præprimis ita perorabat: „ Tria generatim expetenda sunt in propositis „decretis I. major fervetur brevitatis, II. minor fiat correctio antiquorum Canonum. III. Statuantur sanctiones facilius executionis: quod autem spectat ad hoc postremum, in eo lex a Deo lata differt ab ista, quam homines sanxerunt, quod in prima tanta moderatione opus non sit, propterea quod Legislatores ipse vires suppeditet ad eam custodiendam: altera autem normam capere debet a viribus, quæ adsunt, cum eas augere non possit in

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

Pallav. n. 30.

Sæcul. XVI „subditis auctor legis: interim Eccle-
 A.C. 1563. „siastici non accusantur ab adversariis

„ob defectum, sed ob violationem bo-
 „norum Canonum: de cetero mihi vi-
 „detur reliquorum omnium Clericorum
 „humeros premi, Episcoporum hume-
 „ris ne tactis quidem, nam continentur
 „in illis disciplinæ legibus multa adver-
 „sus Pontificem, Cardinales, Archidia-
 „nos, Canonicos, & Parochos regula-
 „res; adversus Episcopos autem nihil.

His universim propositis Laynesius ad
 peculiaria descendit, & in quinto capi-
 te, ubi de Synodis Provincialibus age-
 batur, considerabat, quod illæ non si-
 ne magnis difficultatibus cogi possint,
 ac brevi subsequaturæ sint propriæ Na-
 tionum Synodi cum gravi Ecclesiæ pe-
 riculo: „ Mihi, ait ille, non probatur
 „certum tempus Oecumenicis Conci-
 „liis præscriptum; hinc enim speciem
 „obtendent contumaces ad provocan-
 „dum a sententiis & decretis Romani
 „Pontificis ad futurum Concilium, a-
 „deo, ut tollatur obedientia, & unitas
 „christianæ Reipublicæ: porro de sex-
 „to articulo, ad immunitates pertinen-
 „te, censeo, non cum omnibus Cleri-
 „Collegiis eodem pacto agendum, Hi-
 „spanica ecquidem subdi possunt Epif-
 „copis utpote integritate vitæ præstan-
 „tibus, præsertim cum id Philippus Rex
 cupiat:

„cupiat: alia tamen ratio ineunda est,
 „ubi Episcopi sunt hæretici, aut infa-
 „mes: insuper summopere curandum
 „videtur, ut per leges certum quid sta-
 „tuatur de Episcoporum suppellectili, ac
 „comitatu, necnon de modo, quo hi
 „cum consanguineis se gerant, quove
 „pacto his sacerdotia elargiantur: præ-
 „terea moneo, ne admittantur transla-
 „tiones Ecclesiarum, quæ ad declinan-
 „dam residentiam, laboremque fieri so-
 „lent, nec minus de pensionibus etiam
 „decretum puto edendum, quo hucus-
 „que concessæ declararentur injustæ,
 „nec in posterum aliæ, nisi rationi con-
 „sistent, concedantur: insuper suadeo,
 „ut unicum uni sacerdotium confera-
 „tur, si id congruæ sustentationi est suf-
 „ficiens, nec sufficientiæ ratio petatur
 „ex nobilitate personæ, sed ministerii,
 „cui sacerdotium destinatur; nam Ec-
 „clesia non dirigitur ad ministrorum u-
 „tilitatem, sed ministri diriguntur in
 „Ecclesiæ utilitatem: interim licitum
 „existimo, quod aliquis plura sacerdo-
 „tia possideat, si id cederet in Ecclesiæ
 „emolumentum. „

§. LI.

*Articuli examen de reformatione
 Principum ad aliud tempus
 dilatum.*

M m 5

Post-

Sæcul. XVI.

A.C. 1563.